



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1631**

Admodvm Rever[en]do Ac Religioso Patri, D. Ivsto Perotto, S. Ordinis  
Carthvsiani Generali Moderatori, Patrisvo In Christo amandissimo  
obseruandissimoque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)



ADMODVM REVER.<sup>do</sup> AC RELIGIOSO PATRI,  
**D. IVSTO PEROTTO,**  
S. ORDINIS CARTHUSIANI GENE-  
RALI MODERATORI, PATRI SVO IN CHRISTO  
amandissimo obseruandissi-  
moque.



**V**S V veteri receptum est, & vnanimi omnium omnino gentium consensu confirmatum, vt nouiter siue succedenti, siue electo Principi ceteri subditi congratulenter, eidemque multos annos ac felicem vitam exoptent, atque in subiectionis signum aliquo munusculo illum honorent. Hoc idem si ego praestitero, admodum Reuerende Pater, nihil erit à moribus ac vitæ religiosæ instituto alienum. Tibi igitur plurimum congratulor, & mihi fratribusque meis congaudeo, te ad illud honoris fastigium esse promotum; ex quo (tanquam ex sublimi speculâ) nostras dispicias necessitates, singulisque prouideas pro curæ imposta ratione, & pro desiderato paterni amoris affectu; à Nobis Verò. i. à filijs tuis hoc requireretur, vt te Patrem nostrum in Christo charissimum debito reuerentiæ & amoris cultu prosequamur. Quid porro muneris ad tuos pedes cernuus deponam, non occurrit hac vice aptius, quam vniuersis ac discussis scrinijs studiosum meorum, inde aliquid extraham, quod & nomini tuo & officio simul optimè conueniat inseruiatque. Quid enim Iusto magis placere possit, quam Iustus? quid ars gubernandi potius requireretur, quam doctrinæ & orationis formam & vberitatem? Vtrumque Iustus noster suppetat in deuotissimis scriptis suis. Si equidem adhortatio facienda est, in promptu sunt sermones doctissimi suauissimi que: si orationis ac meditationis exercitium delectat, hortum ille offert amoenissimum fecundissimum que. Huius ergo pijsissimi Scriptoris opera dum Reuerendæ Paternitati Tuæ dedico & consecro, illud obnixè rogo, vt sicuti ego te pro filiali affectu hisce oblectare ac venerari



nerari gestio, ita tu eadem pro paterno reciprocoque amore gratanter ac beneuolè suscipere digneris. Quanti porro tu eundem Scriptorem ac illius eluebrationes facias, id iam pridem cognoui. Postremo, id mihi pro votis efflagitare liceat, ut ille in cœlo, & Tu in terrâ vestris precibus id obtineatis, quatenus Diuina Bonitas gratiam suam mihi concedere dignetur, ad ea elaboranda perficiendaque, in quibus iam plurimorum annorum spatio desudauî. Cæterum & ego quantis possum suspirijs exopto, ut Christus I. E. S. V. S. D. N. lumine Sapientiz suæ spiritum tuum illustrare dignetur, & oculis interiores aperire ad cognoscendum ea, quæ postulat industria & ratio difficillima administrationis. Ars enim artium est omnium, animas pascere & gubernare, ut asserit *S. Gregorius Nazianzenus*. Et ille quidem trepidabat ad vnus Parochiæ suæ Episcopatus grauissimum onus, tuis vero humeris impostum est pondus S. Ordinis nostri vniuersi. Quis tibi non compatiatur? Ille provinciam Ponti reformidabat, quæ vnus linguæ populum complectebatur: tu Francos, Italos, Hispanos, Belgas, Germanos, &c. Imperio tuo subiectos intueris. In hisce quot linguæ, quot populi, imò quam varij mores, quam diuersæ complexionis existunt? Ille præterea homines pro maiori parte sæculares siue laicos regendos susceperat, tu Viros Religiosos in Vita spirituali dirigere obligaris, in quâ Vitâ tot exurgunt tentationes, aduersitates, mutationes, discrimina ac perplexitates: ut nemo inueniatur tam oculatus, qui hæc omnia suo acumine penetrare possit: nisi *DEVS Opt. Max.* dirigat intellectum, moueat affectum, gratiam infundat, menti præsideat, & omnia interiora regat. Quid ego adducam terribile illud Tribunal, quod quisque nostrum pro suâ tantum personâ exhortescit? quid ibi faciet, quid respondebit, qui pro tantâ subditorum multitudine rationem est redditurus? Ita considerantes Principes quidam sæculares, officij & conscientiz simul curam sollicitam gesserunt. Quidam sub peregrino habitu incogniti à rusticis & infimæ sortis hominibus Officialium & Iudicum more sagacissimè explorarunt; atque ex hac indagatione melius informati crudeles, iniquos, auaros, deposuerunt: in eorum quæ locum suffecerunt, quos sciebant virtute ac scientiâ haud vulgari instructos. Non enim ignotabant prudentissimi Heroës, ex vno Officiali plurimis subditis aut scilicet latium optabile aut afflictionem grauem prouenire; sibi autem vel ignominiam vel honorem apud homines, & apud *DEVM* præmium pœnamque constitutam fore. Hinc *Rudolphus Hapsburgicus*, primus ex sua familia Imperator, cùm recenter ad Imperij gubernacula electus esset, & Aulicorum copiâ se circumuallatum cerneret, à quibus afflictæ plebis accessus & libelli supplices intercludebantur: aduertens ille non æquo iure negotia Regni administrati, magno zelo commotus de throno surrexit, altaque voce pro virili animo exclamauit: *Ut quid me captiuum detinetis? Sinite homines ad me venire, ut querelas & causas illorum audiam ac decernam.* *Philippus* quoque laudatissimus Rex Hispaniarum paulo ante mortem sapientissimè optauit, se malle vixisse inter Anachoretas *Ægypti* solitarium, quam tot amplissimis Regnis præfuisse; & huius voti causam subiunxit, dicens: *Tunc enim pro me tantummodo, nunc autem pro singulis mea cura commissis rationem sum a quibusdam Iudici redditurus.* Hæc eo fine dixerim,



DEDICATIO,

Reuerende Pater, non vt te tristitia afficiam, sed vt omnes subditos tuos prouocem ad viscera compassionis, ad suffragia orationum: vt dum agnoscunt te sub graui pondere suspirare, pro te fundere preces continuas & ardentes non intermittant,

Gratia D. N. IESV Christi ex amplissimis meritis suis largissimam benedictionem super te effundere dignetur, & nobis pariter per te benedicat. Amen.

Ita precor, ita ex precordijs opto

Reuerend. Paternitatis tuae Filius in  
Christo Obseruantissimus

F. Georgius Garneselt.

Colonia ex ascesterio nostro, XV. Augusti, anno 1637.



GENE.